

Hymnus

I

EGE qui cer- ta moderaris alte cuncta cæ- lo- rum, dominans ubique

quo Tibi prompta pi- etate mentis ser- vi- at orbis:

Te chorus claro celebrat honore,
quem locat dextris Tua dextra fortis.
Inter hos princeps mediante summo
Michaël astat.

Hic Tui prædux populi sacrati
bella congressu superat secundo,
quem pavet cæli revolutus axe
lividus hostis.

Solis abscessus tenebras reduxit,
nunc, Pater, nos irradias, benigne,
luce qui fulva foves angelorum
agmina sancta.

O beatorum Deus angelorum,
rector humani generis et auctor,
nobis æternum tribue benignus
scandere cælum.

Angelum pacis, Michaëlem ad istam
cælitus mitti rogitamus aulam,
nobis ut crebro veniente crescant
prospera cuncta.

Tu libens festis animas choreis
carne migrantes sociato sanctas,
quo salus perpes fideique merces
regnat in ævum.

Laus Tibi Patri, decus atque Nato,
Flamini Sancto parilis potestas,
cuncta qui summa pietate regnas
omne per ævum. ℟ Amen.